iste sex tonos ubique implevit

DXXXI CCCCXLI. Et hic est C. Quoniam igitur A B minus semitonium, A C maius, differentia eius quod est B ab eo quod est C perquirenda est. Ea est VII CLIII. Id sit D. Sed hic numerus dudum comma monstrabat. Licet maius igitur semitonium a minori comma differentiam facit.



Rursus demonstrandum propono tonum duobus semitoniis minoribus solo commate esse maiorem. Sit A numerus CCCCLXXII CCCXCII (iste quintus tonus habet super) ab hoc intendatur tonus DXXXI CCCCXLI (ipse est sextus tonus superior) et sit hoc D. Ab eo vero quod est A intendatur semitonium minus quod est B, ac sit B CCCCXCVII DCLXIIII. Item ab eo quod est B semitonium aliud intendatur minus quod est C, et sit C DXXIIII CCLXXXVIII. Quoniam igitur AD tonus est, AC vero duo continet minora semitonia, videamus quae sit differentia inter C atque D numeros constituta. Est autem scilicet unitatum VII CLIII, demonstratum est igitur tonum duobus semitoniis minoribus commate esse maiorem.

Differentia inter A et C, id est inter CCCCLXXII CCCXCII et DXXIIII CCLXXXVIII, est LI DCCCXCVI, quae ita dividitur inter duo semitonia. Inter primum ac secundum terminum est differentia XXV CCLXXII. Inter secundum ac tertium est differentia XXVI DCXXIIII, quae duae simul iunctae superiorem differentiam inter primum et tertium restituerent.

Semitonium | Semitonium

CCCCLXXII CCCXCII (A) — CCCCXCVII DCLXIIII (B) — DXXIIII CCLXXXVIII (C)

XXV CCLXXII differentia horum

XXVI DCXXIIII differentia horum

LI DCCCXCVI differentia extremorum

Inter hos duos extremos spatium duorum semitoniorum